



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 17. Bungi Regis epistola ad Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Bungi Regis Epistola ad Papam.

Prima ex his epistolis erat Bungi Regis, cui hæc inscriptio præfigebatur: *Adorando, & Cæli Regis locum in terris obtinenti, magno, & Sanctissimo Papæ.*

Tenor epistolæ erat sequens: *Summi Dei auxilio suppliciter implorato, magna cum humilitate ad Sanctitatem vestram scribere aggredior. Dominus Rector Cæli, terræque, cujus imperium super solem, Lunam, & stellas, ignorant mihi, & profundis immerso tenebris, claritatis suæ lumen jussit splendescere, ac nostratibus præcipue populis arcam referans suæ misericordie, atque gemmarum, dignatus est ante annos amplius quatuor, & triginta destinare in hæc Japonis Regna Patres e Societate Jesu, quorum e salutari, ac divina semente nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam insigne beneficium, aliaque multa, o Sanctissime totius Christiani populi Parens, vestræ potissimum precationi, meritisque accepta equidem refero, ac proinde nisi me bella, senium, & affecta valetudo impedirent, conferrem me ipse ad visenda, ac veneranda sacratissima isthæc loca, ac simul obedientiam exhibens, pedes vestræ Sanctitatis, post pia ipsorum oscula capiti meo super imponerem,*

Saecul. XVI. *Et sanctissima vestra manu pectus meum*
 A.C. 1585. *signo Crucis muniendum curarem: sed*
quoniam iis, quas dixi, causis impediatur,
Sororis meae filium D. Hieronymum Re-
gis Fungiae filium cogitabam legare pro me:
verum quando is in praesenti longe abest, Et
P. Visitatoris instat profectio, Alexandrè
scilicet Valinani, D. Mancium ejus conso-
brinum, eodem nomine mittere visum est.
A vestra Sanctitate magni beneficii acci-
piam loco, si pro ea, qua fungitur in
terris, Dei vice, meque, Et Christianum
hunc gregem, uti facit, fovere,
atque adjuvare perrexerit. Reliquiarum
Thecam a vestra Sanctitate mihi dono trans-
missam accepi libens, ac meo vertici vene-
rabundus imposui, atque ob id vestrae San-
ctitati gratias ago, habeoque tantas, ut
explicandis iis nullae neque linguae, neque
ora sufficiant. Non ero longior, quippe
tum de Regni hujusce rebus, tum de me
ipso, coram ex P. Visitatore, Et ex D.
Mancio plura cognoscet Sanctitas vestra,
quam ego vere, Et ex animo adorans
nulto cum timore, ac tremore hasce literas
exarravi nona die Januarii anno post Domini
adventum millesimo quingentesimo octuagesi-
mo secundo. Subscriptio: Sanctissimis
pe libus Beatitudinis vestrae substratus Fran-
ciscus Bungi Rex.